UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

S. Maria in Crypta picta, ibidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

hoc Honorio, III. Pontifice conflagraſſet, nihil ex incendio eſt paſſa. Gregorius V. Pontifex ānum circiter 995 corpora ſanctorum martyrū Nemeſii Diaconi, Lucillæ virginis filiæ, Symphronii, Olympii Tribuni, Exuperiæ ejus uxoris, & Theoduli filij, de quibus in martyrologio die 31. Octobr. recondidit. Ante idem vero Altare ſub ferrea crate corpus S. Franciſcæ Romanæ viduæ pietate, & miraculis clariſſimæ aſſervatur, quæ religioſiſſimarum ſororum à Turri ſpeculorum vulgo dictarum Fundatricem Paulus V Pont. Max anno 1608 in Sanctorum catalogum retulit, in eodem quoque Templo, quod eſt una ex antiquis Cardinalium Diaconiis, lapis viſitur, in quo S. Petrus ſuæ genuflexionis veſtigia reliquit: *Cum* (ut verbis utar S. Maximi hom. 5. de SS. Petro & Paulo) *fixis genibus Dominum eſt precatus, & Simonem Magum magicis artibus volantē velut vinctum de ſublimi Aere depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxo elidens ejus crura confregit.* E regione Sanctæ Mariæ Novæ in monte ipſo Palatino olim erat Eccleſia Deiparæ dicta in Pallara, nunc omnino diruta, & vitibus obſita, quæ, teſte Onuphrio de ſeptem Eccleſiis una erat ex viginti illis Urbis Abbatiis, ubi, inquit Onuphrius, fuit ſagittatus S. Sebaſtianus dicebatur autem in Pallara à Palladio, quod Diomedes ex arce Trojana ſublatum, ſuperſtitione poſtea adductus Æneæ reſtituit, & in proximo Veſtæ delubro, auctore Andrea Fulvio, ubi de foro Romano, à Virginibus Veſtalibus cuſtodiebatur.

Lapis in quo S. Petrus genuflexionis veſtigia reliquit S. Maximus.

S. MARIA LIBERA NOS A *pœnis inferni.*

Deiparæ templum in foro Romano, nunc à S. Sylveſtro Pontifice nuncupatum,

S. Maria cognomento libera nos à pœnis inferni in foro Romano ubi olim fanum erat Jovis Statoris. In hoc loco aliquando, cum vaſto, ac repentino hiatu terra ſubſediſſet, M. Curtius Eques Romanus adductus ſuperſtitione cujuſdam reſponſi, quo vivens aliquis ad eam complendam depoſcebatur, Equum militaribus inſignibus ornatus conſcendit, eumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit, ut auctor eſt Titus Livius libro ſeptimo, Valerius Maximus libro 5. capite 6. Oroſius libro 3. hiſtoriarum capite 5. ibidem etiam ex aquis proximi Tyberis ſtagnantibus lacus erat, cui nomen Curtius, de quo Ovidius libro 6. de Faſtis:

Curtius ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,
Nunc ſolida eſt tellus, ſed fuit ante lacus.

Ejuſmodi Deiparæ templum in hoc loco excitatum, tametſi non adeo magnum, nobilitatum tamen eſt propter draconem ſuo afflatu urbi peſtilentiſſimum, ibi S. Silveſtri Papæ precibus mirabiliter extinctum; quod tanquam ſatis exploratum, multorumq; teſtimonio comprobatum recipit Baronius tom. 3. Annal. ad annum Domini 324. cujus occaſione S. Silveſter hanc ædem multis in ejus altar. repoſitis reliquiis Deiparæ dicavit, quæ ab ejus conditore aliquando appellatur Templum S. Silveſtri in lacu; quod Julius III. anno 1550. Matribus venerabilis Congregationis Turris Speculorum attribuit, cum antea fuiſſet Cœnobium monialium S Benedicti ab iiſdem propter cœli inſalubritatem deſertum.

Draco peſtilentem afflatu ſpiritum exhalans, S. Sylveſtri Pont. precibus occiditur.

S. MARIA TRANSPONTINA.

31.

S. Maria Tranſpontina templum in honorem Viſitation.

S. Maria Tranſpontina ſacri ordinis Carmelitarum ejuſmodi templi extruendi (quod titulum Cardinalis Sixtus V inſtituit) occaſio ea fuit; cum prope molem Adriani; quæ nunc Arx dicitur S. Angeli. Templum hoc Deiparæ trans pontem Ælium unde nomen traxerat, ſitum, atq; ad muniendam arcem poſtea dirutum eſſet, voluntate ſummi Pontificis anno 1566. hoc in loco aliud templum eſt excitatum in quod ex antiquo illo Sanctorum reliquiæ, & præſertim Deiparæ imago una cum ejuſdem templi nomine ſunt translata. imago vero in ſummo altari eſt collocata; ejus feſtum præcipuum eſt Viſitatio Deiparæ die 2. Julii. In quodam hujus templi ſacello religioſe aſſervantur duæ columnæ, ad quas S. Apoſtoli Petrus, & Paulus, priuſquam pro Chriſti fide morte afficerentur, alligati, & virgis cæſi fuere, quarum meminit Baronius tom. 1. Annal. ad annum 69 Sub altari ſummo ſanctorum martyrum Magdali, Baſilidis, & Tripodii corpora ex antiquo templo accepta reconduntur.

Columnæ quibus alligati Apoſtoli Petrus & Paulus virgis ſunt cæſi.

S MARIA A CRYPTA PICTA.

S. Mariæ in Crypta Picta templū in Conceptionis honorem.

S. Maria à Crypta picta in Campo Floræ ad Theatrum Pompeij; prope hoc templum anno 1525. repertum eſt marmor cum hac inſcriptione, *Veneris Victricis*, quod ibi cidem fanum aliquod, vel ara forte eſſet dicata. Cæterum templum hoc ante trecentos prope-

mo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

modum annos Deiparæ Conceptioni eſt conſecratum, auctore Octavio Pancirola in ſuo theſauro de Urbis Eccleſiis, cum enim ſummum altare cum templo pervetuſto diruendũ, ac reſtituendum eſſet, in charta pergamena ibidem reperta verba hæc legebantur: *Anno Domini 1340 indictione 2. die vero Martis 8. Decembris, tempore Domini Bonifacii Noni, anno ſuo ſexto conſecratum eſt hoc altare cum Eccleſia in honorem Conceptionis B: Mariæ Virginis,* hæc ibi.

S. MARIA IN TRIVIO,

32\.
S. Maria in Trivio templum à Beliſario Iuſtiniani Duce erectum. Gregorius XIII.

S. Maria in Trivio à tribus præcipuis, quæ illuc coeunt viis, unde etiam proximo aquæ Virginis celeberrimo quidem fonti nomen eſt inditum. Hoc templum dicitur etiam S. Maria in Synodo, ab aliqua fortaſſe ſynodo illic antiquitus celebrata, tandem à Greg. XIII anno ſalutis 1575. ſacro ordini Cruciferorum aſſignatum eſt. in ejus templi pariete memorabile ſane viſitur ex. iſum in lapide monumentum pœnitentiæ ob admiſſum ſcelus peractæ à Beliſario Juſtiniani Duce, qui Perſas in Oriente in Africa Vandalos, in Italia Gothos prælio vicit, ac debellavit, nam cum in gratiam impię Theodoræ Auguſtæ Juſtiniani uxoris S. Sylverium Pontificem martyrio poſtea clarum, in exilium miſiſſet; facti poſtmodum pœnituit, ideoque erigendam in Urbe Eccleſiam curavit, pro cujus foribus inſcriptionem in lapide inſculptã poſuit: & licet Eccleſia illa à Baronio tom. 7. Annal. ad annum 536 exiſtimetur everſa à Gothis in odium Beliſarii; lapis tamen ille in pariete hujus templi Cruciferorum aſſervatur cum inſcriptione, quæ hujuſmodi eſt:

Hanc vir Patritius Viliſarius Vrbis amicus
Ob culpæ veniam condidit Eccleſiam:
Hanc idcirco pedem ſacram, qui ponis in ædem
Vt miſereatur eum, ſæpe precare Deum.
Ianua hæc eſt templi Domino defenſa potenti.

S. MARIA IN AQVIRO.

S. Maria in Aquiro

S. Maria in Aquiro prope Circum Flaminium (ubi olim Iſidis fanum) vel ut alii malunt, in Equirio, ſic dicta eſt à ludis Equiriis, qui Equorum, & curruum curſu in campo Martio in honorem Martis à Romulo inſtituti die decimo tertio Martii exercebantur. & illuc tranſibant; de quibus Ovidius libro tertio Faſtorum; *Ovidius.*

Altera gramineo ſpectabis Equiria Campo
Quem Tyberis curvis in latus urget aquis.

Hoc templum Deiparæ in Equirio ab Anaſtaſio Papa, teſte Lucio Fanno l. 4. c. 21. fundatum inter antiquas Cardinalium Diaconias connumeratur. Eidemque templo attributum eſt Collegium Orphanorum, quorum domus cõſilio, & induſtria B. Ignatii Societatis Jeſu fundatoris in urbe erecta eſt, teſte Petro Ribadeneira lib. 3. vitæ B. Ignatii, c. 9. ne videlicet parentum præſidio, omniq; humana ope deſtituti atq; errabundi puerulі in aliquod animæ, corporiſve diſcrimen adducantur.

Anaſtaſ. Pont. Lucius Fannus.

S. MARIA SCALA COELI.

35\. S. Maria Scala cœli ad aquas Salvias tertio ab Urbe lapide ad collem parvum, ubi eſt exiguus fons, qui *Gutta jugiter manans* vocatur, prope ſanctorum martyrum Vincentii, & Anaſtaſii templum, ac prope tres fontes; ubi ſanctus Paulus Apoſtolus pro Chriſto capite eſt cæſus, ſub hoc Oratorio Scalæ cœli, quod figura rotunda curæ Patrum Ordinis Ciſtercienſis ſancti Bernardi eſt demandatum, corpora ſanctorum martyrum Zenonis, ac decem millium ducentorum & trium requieſcunt, & per feneſtellam conſpiciuntur, qui ad Thermas Diocletianas extruendas pro fidei confeſſione, ut ſupra diximus, damnati erant *In hac ædicula* (inquit Onuphrius de ſeptem eccleſiis) *Sanctus Bernardus, dum in Vrbe moraretur, ſacra pro defunctis celebrabat. Quibus dum aliquando operaretur in mentis exſtaſim raptus, ſcalam vidiſſe fertur, quà è Purgatorii igneis pœnis animæ ejus ſuffragiis liberatæ in cœlum ab Angelis deducebantur. Hinc ſacræ illi ædiculæ Scala cœli nomen inditum.* hæc Onuphrius.

S. Mariæ Scala cœli templum ad aquas Salvias.

S. Zenon cum 10 23. ſociorum martyrum.

Viſio Divi Bern. in templo Scalæ cœli.

VARIA DEIPARÆ TEMPLA in Vrbe peculiari aliqua ratione celebria.

34\. S. Maria Angelorum, ut vocant *in Pantano.* qui quidem locus dicitur etiam Macellum martyrum (ut videre licet in inferi-

S. Mariæ Angelorum tem-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN